Omnipotens sempiterne deus qui celestia simul et terrena moderaris: supplicationes populi tui clementer exaudi: et pacem tuam nostris concede temporibus. Per.

Ad Romanos.

Fratres: Habentes donationes: secundum gratiam que data est nobis differentes. Siue prophetiam: secundum rationem fidei. Siue ministerium in ministrando. Siue qui docet: in doctrina. Qui exhortatur: in exortando. Qui tribuit: in simplicitate. Qui preest: in sollicitudine. Qui miseretur: in hylaritate. Dilectio: sine simulatione. Odientes malum: adherentes bono. Karitatem fraternitatis: inuicem diligentes. Honore: inuicem preuenientes. Sollicitudine non pigri. Spiritu feruentes: domino seruientes. Spe gaudentes: in tribulatione patientes. Orationi instantes: necessitatibus sanctorum communicantes. Hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus uos: benedicite et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus: flere cum flentibus. Idipsum inuicem sentientes. Non alta sapientes: sed humilibus consentientes.

In illo tempore: Nuptie Secundum Iohannem facte sunt in chana galilee: et erat mater ihesu ibi. Vocatus est autem ihesus et discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino: dicit mater ihesu ad eum. Uinum non habent. Et dicit ei ihesus. Quid mihi et tibi est mulier? Nondum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris. Quecumque dixerit uobis: facite. Erant autem ibi lapidee hy-